12

DISSERTATIO MEDICA,

INAUGURALIS

DE

ICTERO;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, SS.T.P.

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;

NECNON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu;

Et Nobilissimae FACULTATIS MEDICAE Decreto;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

JOANNES RUSSELL, A. B. T. C. D.

HIBERNUS;

Ad diem 12 Sepmb. horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT C. STEWART,

ACADEMIÆ TYPOGRAPHUS.

1804.

PATRI SUO

OPTIME DE SE MERENTI,

HOC TENTAMEN

OFFERT

AUCTOR.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

ICTERO.

AUCTORE JOANNE RUSSELL.

ANTEA quam medicinæ ſtudio incubui contigit mihi videre unum ex amicis ſub Ictero gravi laborantem, cujus acceſſus subitaneus fuit. Magnopere miratus ſum quomodo evenire potuit mutatio tanta coloris. Tinctus enim ictericus tam preſſus fuit, quam nunquam denuo vidi. Hanc ob causam, animo mecum ſtatui, hujuſce morbi naturam, quam primum potui, indagare, quod nunc aggredior, viribus meis minime fidens, ſed

facilitate eruditorum, qui semper, mitiorem in partem, tironis tentamen, interpretantur.

Hiſtoriam veram et accuratam morbi cujuſvis depingere methodumque medendi minime dubiam inveſtigare, mihi videtur inexperto eſſe difficillimum. Non ita enim in medicina ac in aliis scientiis sese res habet. Nam in medicina, præsertim in ea parte, modum tractandi morbos, et remedia idonea, indicante, nulla, vel ſaltem perpauca ſunt principia per ſe evidentia, quorum anxia conſideratione methodus medendi certa deduci poteſt,ſed ſola experientia niti tutopoſſumus.

Innumera fere remedia, quæ omni ætate mire laudata fuere ut ſpecifica quadam poteſtate, ad quoſdam morbos curandos, prædita, et poſtea inutilia et inertia vere habita fuere, luculenter oſtendunt, quam difficile ſit aliorum ex scriptis quidvis excerpere, quod experientia teſtante, utile et efficax habeatur. Tantummodo autem ex ſcriptis medicorum seligere quæ ſibi maxime

utilia videantur, inexperto licet, et hæc, experientia duce, luftrare illi haud datur. Illuftriffimo a Culleno (nomen a medicinæ cultoribus femper venerandum) Icterus ita definitur; "Flavedo cutis et oculorum; fœces albidæ; urina obfcure rubra, immiffa colore luteo tingens." Quinque morbi hujufce fpecies idiopathicas annumerat, fcilicet, Icterum *calculofum*, *fpafmodicum*, *hepaticum*, *gravidarum*, *infantum*. Ut quibufdam placet limites haud fatis arctos fpecierum ponens, et certe cafus omnes morbi complectens, ni flavedo cutis, quæ in febre Indiæ occidentalis oritur, pro Ictero vero habeatur, et a caufa ab ullis a Culleno allatis diverfà oriri cenfeatur.

HISTORIA MORBI.

Hiftoriam hujufce morbi nunc aggrediar, fymptomata quæ fingulis fpeciebus magis propria funt indicans, cum de caufis fpecierum tractare incipio. Hujus morbi acceffus aliquan-

do inopinatus eſt, et nulla ſymptomata adventum ejus præſagientia exhibentur. Sed aliis temporibus, dolor in regione ventriculi acutus, pulſu interea æquabilem et naturalem ſanguinis motum indicante, morbum haud procul abeſſe oſtendit. Dolor in epigaſtrio aliquando levis, aliquando autem acutus eſt. Flatus, aciditas, anorexia, nauſea, vomitus, et alia dyſpepſiæ ſymptomata fere ſemper adſunt. Color cutis flavus et præſertim oculorum tunicæ adnatæ, fæces albidæ, et aliquando denſitatis haud communis, urina ſubrubra, vel ſaltem linteola colore flavo tingens, hunc morbum ſemper comitantur. Icterici fere languent, torpent et ſomniculoſi ſunt, alias vero, præſertim ſi dolores acuti ſint, inſomnio plectuntur. Si dolor gravis ſit et durans, pulſus aliquando frequens, plenus et durus evadit, ſed plerumque a ſtatu naturali haud multum diſcedit. A quibuſdam in hiſtoria hujus morbi refertur, quod pulſus aliquando tardior ſit, et hoc evenire dicunt tranſeunte calculo. Duratio doloris incerta, ſed plerumque

æger intermiſſione quadam poſt biduum triduumve fruitur. In ictero, ſine ullo alio hepatis morbo, ſingultus aliquando occurrit, et ſi alia ſymptomata gravia haud ſeſe eodem tempore oſtendunt, nullum diſcrimen indicat. Ex theoria, alvi obſtipatio inter ſymptomata hujus morbi expectari debet, et fere ita evenit. Sed aliquando diarrhœa occurrit, et celeberrimus Heberden alterutram alvi conditionem haud morbo propriam autumat. Bilis vero ſecretio et excretio naturali copioſior fere diarrhœam affert; et propterea rationi conſentaneum videtur motum periſtalticum inteſtinorum bile augeri et bilis abſentia minui. Rigores occurrunt aliquando inter ſymptomata hujus morbi, et quamvis in affectibus viſcerum maxime formidandi ſunt, ut ſuppurationem indicantes, tamen in hoc morbo idem de iis dicere licet, ac antea de ſingultu diximus. Ingeſta ſolida plerumque ſaporem amarum ægris excitant, liquida effectum eundem exhibent, ſed rarius, et minore gradu. Fœminis ſub hoc morbo laborantibus et eodem

tempore mammas partui admoventibus nec color nec ſapor lactis, bilis in hac ſecretione præſentiam indicat. Saliva vero aliquando amareſcere obſervatur. Prurigo cutis dolentiſſima ægros aliquos ictericos adoritur, ab aliis autem haud omnino ſentitur. Acceſſus hujus morbi haud parcit vel infantibus teneris vel juvenibus cujuſcunque ætatis, ſed plerumque evenit ut impetus ejus leviores ſint et minus durantes. Ex obſervatione conſtat quod puberes frequentius impuberibus hoc ſub morbo laborant. Ut quibuſdam placet fœminæ, ſed ut aliis ſexus uterque huic morbo æque obnoxius eſt. Quicunque ab hoc morbo ſemel aggreſſi fuere, acceſſionibus iteratis habiles ſunt, et quia cauſæ excitantes manere poſſunt, fructum edere parati, et etiam cauſa eadem ſcilicet concretio, ſæpe eundem effectum inducere poteſt. Si eventus morbi fauſtus ſit, receſſio ejus indicatur diminutione ſenſus gravitatis, oppreſſionis et moleſtiæ circum præcordia. Aliquando æger putat ſe ſentire aliquid intra ſe cedens, et poſtea fluxum ſicut

fluidi antea impediti. Appetitus melior fit et digeſtio melius abſolvitur. Color urinæ magis limpidus et ſecretio largior. Fæces colorem albidum deponunt, flavum aſſumunt, et alvus magis libere et copioſe eas reddere incipit. Si vero eventus infelix ſit, aliquando ſed rariſſime evenit, ut æger, ſi dolor prægravis ſit et ſine intervallo, brevi tempore exhauriatur, et paroxyſmo doloris morte ſubitanea correptus ſit, morbo haud more ſolito, lethali evadente. Sed plerumque, durante et ingraveſcente morbo, æger cachecticus fit, macer et debilis evadit, hæmorrhagiæ frequentes occurrunt, et hydrops, quæ fere nunquam ſanari poteſt, tandem ægrum ad finem miſeriarum ducit.

SECTIONES MORBIDÆ.

Ubi cadavera ictericorum ſecantur, phænomena morbida notatu digna ſeſe oſtendunt. Pori biliarii et rami majores ductuum hepatico-

rum impervii ſtructura morbidâ facti, inveniuntur. Concretiones occurrunt ſæpe vel in ductu communi vel cyſtico, ſed ſæpiſſime veſicula fellis. Incraſſatio ductus communis et ſtructura morbida notatur meatum biliarium coarctans veluti ſtrictura urethræ. Sæpe preſſuræ externæ ſigna præbet ex diſtenſione et tumore partium vicinarum, ſcilicet pancreatis duodeni et coli. Hi tumores ſtabiles vel fugaces ſunt et effectum congruentem edunt. Natura bilis mutata obſervata fuiſſet, magis viſcida et tenax facta, et iſtas mutationes ſæpiſſime in veſicula fellis ſubiiſſe inventa fuiſſet. Ductus cyſticus, hepaticus, et communis amplificantur per totam eorum longitudinem. Adhæſio inter veſiculam fellis et inteſtinum duodenum obſervata fuiſſet, a Doctore Cheſton, cujus ope calculus haud parvæ magnitudinis exitum ſibi facilem per inteſtina comparavit. Induratio et amplificatio glandularum lymphaticarum hepatis obſervata fuit. Indurationes et amplificationes ſubſtantiæ ipſius hepatis inventæ fuere. Sacculi, hydatides et

materiem ferofam continentes, fefe oftenderunt. Color cerebri, offium et cartilaginum aliquando flavus exiftit.

CAUSÆ PRÆDISPONENTES.

Homines ftudiofi, et fœminæ, propter vitam inertem, huic morbo habiles effe dicuntur. Poteftas excernendi bilem, haud multum pendet ex poteftate mufculari ductuum, (nam poteftas mufcularis ductuum debilis eft) fed fluxus præcipue cietur contractione fepti tranfverfi, mufculorum abdominalium, motu inteftinorum periftaltico, et præcipue commotione fyftematis hepatici exercitatione. Quoniam ergo vita iners, bilem durare faciat in veficula et ductibus, concretioni bilis adjuvet. Ufus immodicus liquorum fortiorum ftillatitiorum, hujus morbi fpeciei peffimæ, utpote ex ftructura vitiata orienti difpofitionem dat. Morbus alternis vicibus fefe oftendere dicitur cum eruptionibus

cutaneis, ulceribus, et fluxu hæmorrhoideo; sed multum dubito anne explicari poteſt quomodo ullus nexus, veluti cauſam inter et finem, talibus alternationibus probatur.

CAUSÆ EXCITANTES.

Ii qui primum anatomiæ morbidæ ſtudio incubuerunt, ſtatum ſubſtantiæ ipſius hepatis morbidum ſemper invenire in ictero expectabant. Nam pro certo habuerunt morbum hunc, ex ſecretione bilis impedita, originem ſemper ducere. Sed, ubi philoſophia verior et accuratior oſtendit, fluida ſecreta ſanguine (ſtatu ſanitatis) haud exiſtere, luculenter conſtitit hunc morbum nunquam ex ſecretione impedita originem ducere potuiſſe. Hæcce vero ratiocinandi methodus haud parum ſubſidii duxit ex obſervationibus anatomicis, ope quarum conſtitit, hunc morbum exſtitiſſe ſine ullo hepatis morbo. Si vero ſecretio bilis impedita pro cauſa morbi admitti

non poteſt, cauſam veram et idoneam indicare debeamus, et hoc efficimus oſtendendo, quod obſtacula excretioni bilis ſæpe oriuntur. Cauſa uſitatiſſima hunc morbum inducens, eſt concretio biliosa meatum ductuum impervium reddens. Si enim concretio a cyſtide fellis tranſeat in ductum communem, et ita excretioni bilis obſtaret, tunc neceſſario evenit, ut bilis in receptaculum refluat, et ſi veſicula fellis haud ſatis capax ſit ut bilem, antea quam tranſeat calculus, ſecretam contineat, bilis abſorbeatur, vel per ductus et poros biliarios in extremitates venæ portarum, et poſtea in venas hepaticas et ita in cavam inferiorem, regurgitet.

Glandulæ lymphaticæ ductibus collocatæ inveniuntur; harum ſchirrhi et amplificationes meatus biliarios prementes excretionem bilis impediant. Tumores partium vicinarum, pancreatis, duodeni, et ſubſtantiæ ipſius hepatis, ſi ita ſiti ſint, ut premendo ductus vel poros impervios reddant, hunc morbum excitent. Ductus et

rami majores pororum biliariorum, aliquando fistulosæ esse desinunt, et talis soliditas pro causa hujus morbi admitti debet. Stricturæ, vel incrassationes tunicarum ductuum inveniuntur, et effectum eundem edant. Constrictio spasmodica vel ductus vel orificii ejus in duodeno siti pro causa habeatur, sed minime frequens. Spissitudo morbida bilis vel muci intestini duodeni pro causa icteri infantum habeatur. Causa icteri gravidarum ad pressuram externam referatur. Secretio bilis nimis copiosa icterum fugacem, ut credo, excitare potest, si copia ejus tam larga sit ut per ductus viam haud inveniat facilem, nec in vesicula fellis repertorium satis capax; nam, ita vel regurgitet vel actionem absorbentium excitet. Icterus aliquando sequitur operationem emeticorum acriorum, purgantium, quæ drastica vocantur et quæ tormina excitant. Quidam dicunt morbum secutum fuisse colicam et hysteriam. Emetici agant vel movendo concretionem ex vesicula fellis in ductus, vel excitando motus spasmodicos qui excretionem bilis impe-

diant. Pathemata mentis, præcipue iracundia motus ſpaſmodicos excitent, ſaltem ſecretionem bilis augent, et ita modo antea expoſito icterum inducant.

CAUSA PROXIMA SEU RATIO SYMPTOMATUM.

Ratio ſymptomatum in quibuſdam caſibus ſatis facilis eſt, aliis vero non ita. Acceſſus improviſi hujus morbi, dolores in regione ventriculi, remiſſiones et paroxyſmi frequentes, ſymptomata ſunt talia, qualia ex tranſitu calculorum ex veſicula in ductus, et poſtea per eos, oriri cenſeamus. Symptomata dyſpoeptica, quæ hunc morbum aliquando præcurrunt et ſemper comitantur, oriri videntur, ex ſympathia quæ ventriculum inter et hepar tenet, ex defectu bilis in inteſtinis, et forſitan ex mechanica irritatione calculorum. Languor, torpor, plenitudinis ſenſus oriatur ex reſiſtentia circulationi ſanguinis, per

venas portarum ad hepar allati, efficiente majorem ſanguinis quantitatem aliis partibus pigram ſtare, præſertim vero viſceribus peritonæo cinctis, vel originem ducant ex ſympathia, quæ inter inteſtina et alias corporis partes obtinet. In hoc vero morbo, propter defectum bilis, inteſtina torpent. Color urinæ oritur ex miſtura bilis. Fæcum color oritur ex defectu. Color cutis oritur ex mixtura bilis cum ſero ſanguinis. Symptomata hectica, quæ aliquando oriuntur, originem ducere fere videntur ex ſtatu hepatis morbido, qui hunc morbum aliquando, ſed non neceſſario, comitatur.

DIAGNOSIS.

Diſtinctio Chloroſin gravem inter et Icterum mitem forſitan haud ſemper ſatis liquet; ſed in chloroſi tunica conjunctiva colore flavo tincta non eſt, et urina pallida et limpida eſt, haud ut in ictero ſubrubra. Icterus verus cum febre

Indiæ occidentalis jungitur, et ab ictero simplici facillime distinguitur, symptomatis febrilibus, præcipue dilirio et virium prostratione. Flavedo cutis chronica, quæ ab sero flavo morbido oritur, non vero ab absorptione bilis, aliquando occurrit, ab ictero vero discernitur, quoniam tunica conjunctiva coloris flavi particeps non est, et dejectiones albidæ et argillaceæ absunt et etiam urina subrubra.

PROGNOSIS.

Quoniam quævis obstructio excretioni bilis hunc morbum excitet, et natura obstructionis vel transiens vel durans esse potest, necessario evenit, ut prognosis hoc in morbo varia sit. Si post alios morbos qui longo tempore duraverunt, vel qui symptomata obstructionem viscerum indicantia ostenderunt, occurrit icterus, credo quod fere semper eventus infaustus expectandus est. Nam quoniam in hoc casu veri-

ſimile eſt, morbum induci tumore externo ductus impediente, et quoniam plerumque hi tumores cedere neſciunt, neceſſario evenit ut morbus medicamentis haud vincatur, et tandem ægrum exhauriat. Si morbus haud diu perſtet ſine intermiſſione, ſed poſt intervalla iterum redeat, et in intervallis concretiones in fœcibus inveniantur, et, quamvis dolor acutus ſit, tamen febris et depreſſio virium abſunt, eventum fauſtum ſperare licet, quoniam in hoc caſu morbus inducitur cauſâ quæ amoveri poteſt.

METHODUS MEDENDI.

In curatione hujus morbi multa medicamenta diverſis temporibus mire laudata fuere, et certe aliquando morbum amovere videantur. Sed hoc ita ob hanc cauſam eveniat, nempe quod tranſitus concretionis viribus naturæ poſt tempus incertum efficitur, ductus ſenſim dilatantes, et ita concretiones tranſire ſinentes. Hoc vero

ſi eveniat, dum remedium ullum quamvis ineffi-cax exhibetur, curatio morbi aſcribitur viribus medicaminis et haud cauſæ veræ. Indicationes hoc in morbo duæ ſunt, cauſam icteri amovere, et ſymptomata gravantia mitiora reddere. Priori indicationi reſpondere ſæpe in noſtra non eſt poteſtate. Nam ſi obſtructio excretioni bilis ex tumore vel ſchirrho hepatis vel aliæ cujusvis partis quæ ductus comprimat oritur, raro contingit ut medicus morbo mederi poteſt, ſed ſaltem mitiorem reddere conetur. Si obſtaculum ex calculo oriatur, et forſitan melius eſſet medico, ſi aliæ cauſæ obſcuræ ſint, calculum pro cauſa ſemper agnoſcere, indicatio expleatur. Si æger robuſtus et validus ſit et dolores acuti, venæſectio utilis eſt; nam ſi calculus ex forma vel magnitudine dolorem magnopere excitat, diſcrimen eſt, ne inflammatio ductuum et hepatis oriatur, talis vero exitus certiſſime evitatur venæſectione; præterea rationi conſentaneum videtur, ut alio etiam modo venæſectio utilis

evadat, rigiditatem et tenſionem fibræ muſcularis amovendo.

Tranſitum calculi vel aliæ cujuſvis cauſæ excretionem bilis obſtruentis, implendo meatum ductuum, expedire, nulla remedia emeticis potiora videntur; nam quoniam et commovent et exprimunt ductus, neceſſe eſt ut cauſas obſtruentes loco ſuo moveant vel in veſiculam fellis vel, quod magis optare debemus, in duodenum. De utilitate vero hoc remedio utendi, quovis tempore dum calculus in ductu ponitur, aliquid eſſe dubii videtur. Nam ſi vel ex duratione paroxyſmi, vel ex doloribus cruciantibus, ſuſpicio oriatur, quod calculus nimiæ magnitudinis eſſet, quam ut pertranſeat ſine diſtenſione magna ductuum, rationi conſentaneum videtur, timere ne niſus vomendi inflammationem excitet. Doctor Heberden hoc in morbo verſatiſſimus, ſententiam ſuam ita profert, ut exhibitionem emetici ſuadere videatur nulla doloris ratione adhibitâ; ſed tutius eſſe videtur mitigationem

doloris ope venæſectionis et anodynorum expectare, antea quam emeticum exhibeamus. Aliquando accidit, ut poſtquam vomitionem excitavimus, niſus ejus durarent longius quam vellemus. Plerumque compeſci poſſunt opio aliiſque antiemeticis. Emetica vero mitiora, ſcilicet pulvis radicis ipecacuanhæ, ſemper uſitanda.

De uſu purgantium hoc in morbo haud inter omnes convenit. Quidam hæc remedia mire laudarunt, utpote motum periſtalticum inteſtinorum augendo actionem ductuum excitent, et ita tranſitum calculi promoveant. Alii vero hoc modo pauxillum vel etiam nihil efficere aſſerunt, et ex eorum uſu diuturno et frequenti debilitatem noxiam orituram, timendum eſſe. In ictero infantum purgantium uſus plerumque fauſte cedit. Nam infantibus morbus hic oriri videtur ex obſtaculo, ſedem minus ſtabilem habente, et quod purgante medicamento amoveri poteſt. In adultis etiam, alvi aſtrictio in hoc morbo evitari debet, et uſus modicus purganti-

um certis intervallis repetitus curationi morbi inservire videtur. Purgantia amara submuriati hydrargyri conjuncta hoc in morbo utenda sunt.

Rigiditas tunicarum ductuum cedere recusantium dolorem sæpe acutissimum ciet; levamen huic dolori certissime ex opio paratur, et propter sympathiam inter cutem et subjacentia observatam, usus fotuum epigastrio et etiam balnei calidi haud sine ratione adhibetur. Opium vero haud solummodo doloribus levandis inservit. Nam quoniam tensio et irritatio ductuum constrictionem spasticam excitare possunt, et plerumque effectum talem edunt, transitui calculorum nihil plus inserviat quam hujus constrictionis amotio; hicce vero eventus ex opio haud immerito speratur.

De nullis in hoc morbo remediis plus disceptatum fuit quam de solventibus ut vocantur. Quidam fuere ingeniosi scientiâ chemicâ probe imbuti, qui ope alcalinorum et acidorum se posse

ſolutionem calculorum parare putaverunt. Alii vero difficultatem agendi in corpora corpore vivo incluſa, et ad quæ aditus haud patet niſi per circuitum, ambages, mutationes, et dilutiones, prævidentes, tarde admittunt remedia hujus generis, et adhuc detecta fuiſſe negant.

Aliquando natura viam ſibi a ſolita diverſam, per quam exirent calculi invenit ſcilicet ſi calculi veſicam fellis irritando inflammationem excitent, hoc modo adhæſio inter veſiculam et inteſtinum, vel etiam, ut dicit Doctor Heberden, inter veſiculam et parietes abdominis, contingat: et inflammatione progrediente, parietes abdominis vel inteſtinum ſuppurent, et ita exitus vel naturæ viribus pateat.

Si morbus remediis antedictis amotus ſit, vires ægri reficientur ope cinchonæ officinalis et medicamentorum amarorum, et etiam e ferro præparatis, diæta nutriente et levi, et præcipue exercitio.

FINIS.

EX TYPOGRAPHEO ACADEMICO.